





I. N. 3. 1653, 3

DISPUTATIO JURIDICA

De

SUCCESSIONE

DESCENDENTIUM AB
INTESTATO,

Quam

Annunte & Consente Nobilissima
Facultate Juridica,

In Electorali Academia Francofurtana

Sub PRÆSIDIO

VIRI

NOBILIS SPECTABILIS EXCELLENTISSIMI
ET CONSULTISSIMI

DN. FRIDERICI von JENA,

J. U. D. Professoris publ. meritissimi, ac
Nobilissimæ Facultatis Juridicæ p. temp.

DECANI,

Promotoris ac Fautoris sui perpetuo colendi;

*ad diem 6. Augusti horis solitis
publica censura exponet.*

Hans Casper von Randow /
Nob. Siles. Auth. & Resp.

ANNO M DC LIII.

Exprimebat typis KOCHIANIS
JOHANNIS ERNESTUS, Acad, Typ.



ILLUSTRISSIMIS AC CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS AC DOMINIS

DN. GEORGIO,
DN. LUDOVVICO,
DN. CHRISTIANO,
Ducibus Lignicensibus ac
Brigensibus.

Dominis suis Clementissimis.

Hanc Juris Disquisitionem,
in Clementem Studio-
rum suorum commen-
dationem

Humillimè
D. D. D.

Hans Casper von Randow,
A. & R.

Anno M DC LIII.

Expit. hae typis KOCHIANIS
JOHANNIS FRANKSUS, Aed. Typ.

I. N. D. N. J. C.



Uam præclara, ampla, atq; utilis sit Successionis materia, id omnibus meridianâ magis luce clarius apparet, ut longiori atq; prolixiori commendationis serie non indigeat, cum Utilitas hujus Materiæ, secundum Jurisconsultum in *l. i. ff. de restit. in Integr.* seipsam satis ostendat. Omnis autem Successio est vel ex testamento, sive testamentaria; vel ab intestatò sive Legitima.

Nobis, omisâ Successione Testamentariâ, de posteriori tantum Successione, videlicet legitima propriè sic dicta *l. 9. C. de jure Delib. tot. tit. ff. & C. de legit. hered.* agere propositum est. Successio igitur Legitima, quæ ab intestatò sola lege nobis debetur, *l. ii. ff. de suis & legit. hered. l. 5. §. ult. ff. unde legitimi.* de hodierno Jure Novissimo in quinq; potissimum ordines dividitur. Est enim vel (1) Descendentium, vel (2) Ascendentium, vel [3] Collateralium, vel (4) Viri & Uxoris, vel (5) Fisci, quorum priores tres descendunt ex jure Sanguinis, reliqui duo ex ratione aliqua civili. Nos relictis hisce quatuor posterioribus successionum ordinibus, de primo tantum successionis ordine, Descendentium nimirum, agemus. Hæc verò Successio Descendentium legitima, est vel Liberos legitimos & naturalium simul, vel Legitimatorum, vel Adoptivorum seu Legitimos tantum, Vel Naturalium tantum, vel spuriorum seu vulgò quæstorum, vel tandem liberorum ex damnato Coitu natorum. De hisce omnibus in ordine Descendentium Successionum speciebus, his & sequentibus aliquot pagellis laconicè & quidem ordine, sumus sermocinaturi, cum secundum *Baldum in tract. Schismatis.* ordo sit modus agendi, sine quò nil rectè agitur, & ea quæ

ea, quæ ordinatè traduntur, non solum perspicua & facilia red-
dantur, quò dilucidius intelligantur, ut dicitur *in l. 1. ff. de Delictis
mali & metus except.* sed etiam facilius memoriæ, quæ aliàs la-
bilis est, *l. peregrè ff. de acquir. possess.* inhæreant. Quod ut cò-
melius fiat, ac omnia ex voto nostro cedant, ad Conatum hunc
nostrum DEi omnipotentis auxilium humillimè imploramus.

Theſ. I.

Vulgata est Etymologia vocabuli Descendere: Propriè enim
significat de loco superiore ad inferiorem venire. *Cicer. 3. de Orat.*
Generaliter v. loquendo vocabulum descendere potiùs signifi-
cat de uno loco ad alium, de una re ad aliam rem contendere, vel
deferri, etiam si superior non sit. Sic dicimus Descendere ad
vel in forum, item Descendere in naviculas. *In Jure nostro* ver-
bum Descendere originem potiùs ortumq; ab aliquo ducere de-
notat, & applicari potest tam bonis quàm personis; ita bona
defuncti ad nos descendere dicuntur. *Sic Justin.* Ita & de his, quæ
materna linea, vel per quamcunq; occasionem, vel inter vivos,
vel per ultimas voluntates & dispositiones, vel ab intestatò de-
scendant, similis ordo servetur. *l. Sancimus II. C. Comm. de suc-
cess.* Ut ut igitur has de verbo Descendere modò allegatas si-
gnificationes & opiniones non rejiciendas putamus. Magistra-
men propriè Descendentium appellatio ad liberos pertinet, qui
per lineam inferiorem vel deorsum tendentem descendunt, quos
Theoph. καλιόντες vocat. *tit. de legit. agnat. success.* Descendenti-
um igitur, seu liberorum appellatione omnes liberi intelligun-
tur, cujuscunq; sint gradus & sexus, sive ex masculorum, sive ex
fœminarum genere descendant, non solum filii & filiæ, verùm
& Nepotes, pronepotes, cæteri q; qui ex his descendunt, conti-
nentur, sive suæ sint potestatis, sive sub potestate sint, idq; in in-
finitum, *l. liberorum 220. ff. de verb. signif.*

(A) Secus verò, *de jure feudali* constitutum habemus: ubi
Descendentium s. liberorum appellatione soli filii, & Nepotes
ex filiis, Pronepotes ex Nepote, ex filio, & sic deinceps per ma-
sculini sexus personas descendentes masculi, non etiam filia,
aut Nepotes, Neptesve ex filiabus, aut Nepotes, Proneptesve ex
Nepo

Nepotes, aut Neptes ex filia nati intelliguntur *e. unic. §. hoc autem* 3. *de his qui feuda dare possunt. 1. F. 1. c. unic. de Success. Fratru.*
2. F. 11.

(B) Nec ab hoc jure feudali communi dissentit *jus feudale Saxonicum*, ubi non minus liberorum seu Descendentium appellatione soli filii, & Nepotes ex filiis, non etiam filiae intelliguntur, *per text. Landrecht/lib. 2. art. 1. v. hat auch ein Mann einen Sohn. junct. 16. Gl. Ordin. n. 9. & Gl. ordin. Landrecht lib. 2. art. 58. c. 2. super verbo wo der Mann keine Lehnerben.* Atq; ita Etymologiâ vocabuli Descendentium, & quicquid sub horum appellatione contineatur, pertractatâ, consequens est, ut de ipsa liberorum, sub descendentium appellatione contentorum, successionem agamus. Prima itaq; succedendi causa est liberorum primi gradus & quidem legitimorum & naturalium simul, qui Parentibus intestatò defunctis, æqualiter succedunt. *§. 1. Inst. eod. & in §. 1. vers. si quis Auth. eod. & Auth. in Success. C. de suis & legit.* Sunt a. Liberi naturales & legitimi simul, qui ex justis nuptiis, legitimoq; thoro, seu matrimonio nati ac procreati sunt. *pr. Inst. de patr. potest. l. in potest. 3. cum seq. & l. filium 6. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt.* Germanicè *Ehlich geborne Kinder.* Ideò a. Nomen naturalium adipiscuntur, quia secundum naturam ex parentibus sunt procreati. Legitimi simul eam ob causam nominantur: quia ista conjunctio parentum, ex quâ nati sunt, à lege divina, humana, Civili, & Canonica est approbata, ut constat ex *tit. 10. Inst. de nupt.* Hi igitur Liberi Naturales & legitimi simul, & in primo tantum constituti gradu, semper exclusis Ascendentibus & Collateralibus, Parentibus ab intestatò æqualiter succedunt. *Auth. in success. C. de suis & legitim.* Et hæc dicitur successio in capita, quando nimirum in tot æquales partes, quot personæ reperiuntur, hæreditas dividitur. *l. post. consanguineos. 2. §. 2. ff. de suis & legit. hered.* Nec enim ullam hîc agnoscimus liberorum differentiam inter liberos emancipatos, ac in patriæ potestate constitutos, cum hodiè quead successionem sublata sit omnis differentia Emancipationis & Patriæ potestatis. *l. fin. §. 1. C. de legit. hered. Nov. 118. c. 1. & c. Nullam 4. junct. Auth. in success. C. de suis & legit. liberis.* Nec quoq; distinguitur de jure Civili inter liberos

masculini, vel feminini generis, nam & hæc differentia sexus quoq; est sublata, *d. Auth. in success. & h. inter filios. C. familiae heriscunde.* Nec inter Natos & Nascituros s. Posthumos. *S. sui autem. 2. sub fin. Inst. de heredit. que ab intestato defertur. l. i. S. sciendum 8. l. intestato 3. S. utiq; 9. ff. de suis & legitim. hered.* Adeo quidem ut & Nepos post mortem Avi conceptus, hodie ad Successionem admittatur, *Nov. 118. c. i. v. licet.* Nec inter Seculares vel Clericos, *l. Deo nobis 56. S. i. C. de Episcop. & Cleric.* quamvis jam Monasterium ingressi omnia Monasterio acquirant, nec quicquam sibi retineant. *Auth. ingressi. C. de SS. Ecclesiis: Nov. 5. cap. illud 5.* Imò nec, inter perfectos & imperfectos liberos deniq; distinguitur, inter illos nimirum qui in artibus minus principalibus excessum vel defectum patiuntur, quales sunt Hermaphroditi sive Androgini: Item Nani sive Pumliones, leprosi, claudi, mente capti, furiosi, muti, surdi, cæci, & similes imperfecti. *l. i. & seq. ff. de honor. possess. furios. infant. & cæco competente. l. fin. S. tali. 7. C. de curator. furiosi.* Secus v. si omninò ita fuerint imperfecti, ut etiam pro monstris habeantur, & contra formam humani generis procreati sint. Ejusmodi n. liberi ut imperfecti, æqualem cum cæteris successionem non habent, *p. l. non sunt liberi. 14 ff. de statu homin. l. quod certatum 3. C. de posth. hered. instit.*

(C) DE JURE SAXONICO, quin liberi naturales & legitimi simul primi gradus, Parentibus ab intestato defunctis, in capita sive partes viriles vel æquas, ut de jure Civili succedant, dubio caret omnia.

(D) DE JURE FEUDALI quoq; filii æqualiter succedunt, & feudum inter se, sicut bona alodialia in capita pro numero personarum dividunt. *c. unic. S. & quia. i. de his qui feud. dare possunt. 1. F. 1. c. unic. in pr. de success. feud. 1. F. 8.* Fallit tamen hæc successio de jure feudali in capita, (1) circa feuda regalia annexam dignitatem habentia, quia sunt individua, & integra relinqui debent. *c. unic. S. firmiter 2. vers. præterea. de probib. feud. alien. lib. 2. tit. 55.* quod licet in Germania non observatur. *Gail. lib. 2. obs. 153. n. 2.* in Electoratibus tamen adhuc verum est. (2) Fallit hæc successio, quod multis in locis ad solum primogenitum, exclusis reliquis fratribus, ejusmodi successio pertineat, quod non tantum

tum in plerisq; Gallia locis fieri, testatur *Cuiac. lib. 2. F. tit. 11.* sed etiam in Anglia. *Rittershusius l. 1. p. feud. c. 15. quest. 9.* Ratio hujus juris inter alias est, ne hereditate in plures divisâ, ob inopiam rei familiaris claritas familiae obsolescat. *Cujac. d. loco.*

(E) DE JURE SAXONICO, Discrimen sexus circa successionem ab intestato aliquo modo attenditur, si textu juris Saxonici. *Sandrecht. lib. 1. art. 17.* aspiciamus, quò textu habetur: *Water vnd Mutter Erbe nimbt der Sohn vnd nicht die Tochter/ es sey dann/das kein Sohn da sey.* Attamen hoc non solum longo usu, sed in eodem quoq; *art. ib.* die nehmen gleichen Theil daran es sey Mann oder Weib. *Item eod. lib. art. 27.* correctum esse observatur: & secundum Juris Novissimi normam, quâ sublata est sexus differentia, hodiè pronuntiatur: observatâ tamen differentia circa res expeditorias & utensilia.

(F) DE JURE FEUDALI verò Discrimen sexus attenditur, nam hic tantum Descendentia ex linea masculina spectatur. *c. unic. vers. etsi. Clientulu. de alien. feud. 1. F. 13.* Quemadmodum etiam ita, attestantê Shurerò, quotidie pronuntiatur.

(G) Quoad Allodialia tamen regulariter non attenditur, sed filii & filiaequaliter succedunt. *per text. Sandrecht. lib. 1. art. 3. ante fin. & art. 27. in pr. verbo.* Es sey Mann oder Weib. Quamvis in non nullis rebus filii filiabus adhuc hodiè preferantur: ut in Wergeldo & pecunia ab Homicida vel delinquente pœnæ nomine soluta, vulgò *Manngeldt* / & rebus expeditoriis, vulgò *Heer gewette.* Econtrario filia filios in successione materna in utensilibus vulgò *Gerade* / quasi *Gerethe im Hause* excludant. *Sandrecht. lib. 1. art. 27. in pr.*

(H) JURE FEUDALI v. uti dictum masculi feminas in successione feudi regulariter excludunt, tam de *jure feudali communi*, *per. c. unic. §. hoc autem 3. de bis qui feud. dare possunt 1. F. 1. c. unic. in pr. & §. si filia. 2. de success. feud. 1. F. 8. c. unic. quemadmodum feuda ad filium pertinent. quàm Saxonico.* *Lehnrecht. art. 2. in pr. junct. art. 6. & 21.* Uti & quotidie quoq; sic pronuntiari solet, uti per Ambrosium Schur. refert Joh. Cöppen. *lib. 1. obs. 160. n. 30.* Equum tamen videtur, ut filiabus alimentum de-



ta decernantur, si aliunde ali aut dotari non possint: *arg. c. unic. §. Mutus. 2. Episcop. vel Ablat. 1. F. 6. Goth. Anton. Disp. Feud. 6. sbef. 8. lit. a.* quamvis legitima iis ex feudo vendebatur, non quidem ex feudo noviter empto: Aliter tamen si id & in Electoratu & extra eum si habere, si bona alia hæreditaria non sint testatur Dnus. *Carpz. p. 3. c. 9. defint. 28.* quam tamen suam opinionem defin. seq. seqq. casibus limitat.

(I) JURE SAXONICO, quoq; tam Posthumi, quam vivo Patre nati, & in allodialibus, & feudalibus succedere possunt, dummodò constiterit posthumum vivum & integrum natum fuisse, vel ex testimonio saltem mulierum, quæ tempore partus interfuerunt, tametsi vocem nullam ediderit, ipsiusq; hæreditas vel ad Matrem, vel ad alios Ascendentes, vel Collaterales, gradu proximo res transmittitur, & hoc ita quotidie pronunciari, testatur *Schneid. ad §. 10. Inst. de honor. possess.*

(K) Nec quoq; Clerici jure Saxonico à Successione removentur. *p. text. in Landrecht lib. 1. art. 5. circa medium vers. der Pfaff nimbt gleichen Theil. licet in Monachis secus esse videatur. Landrecht. art. 25. in pr. Junct. ibid. Gloss.*

[L] Sed aliter res sese habet circa successionem Clericorum de jure feudali, quorum appellatione & Monachi veniunt, quib. successio in feudis hoc jure omninò denegatur. *c. unic. de vasall. milit. qui arma bellica deposuit. 2. F. 21. c. 1. §. qui clericus si de feudo defuncti contentio sit. 2. F. 26.* Contrarium tamen in Electoratu Saxonico constituit illustrissimus Elector Augustus, hæc ratione motus, quòd Dominis feudorum per substitutum servire possint, ut patet ex ejusd. *Nov. p. 2. const. 28. ubi in §. fin. idem jus succedendi in feudis Monachis, qui votis renunciantes, Monasteriis excesserint, attribuit.*

[M] Imperfectos tandem quòd spectat lieberos, inter quos de jure Civili quoad successionem non distinguitur, jure Saxonico tamen differe videtur. Hermophroditum imprimis, neq; in allodialibus, neq; feudalibus, succedere posse *p. text. in Landrecht lib. 1. art. 4. in pr. Junct. ibi Gloss. latin. & German.* Quæ tamen Juris Saxonici Dispositio, cum nimis dura sit, de consuetudine vix observatur *Dauth. in tract. de Testam. tit. de hered. instit. n. 307.*

DE

17.

[N] De Jure feudali Hermaphroditus, secundum FF. à Feudi successione tùm demum removetur, si magis in sexum femineũ, quàm masculinum caleſcat. *arg. l. queritur. ii. ff. de statu homin.* Inter Imperfectos quoq; recensentur furiosi, surdi, muti, &c. ut supra traditum. Hi *de jure Saxonico* in Allodialibus succedere possunt.

[O] Jure Feudali imperfecti seu animo tales sint, ut furiosi, & mente capti, sive corpore, ut Muti, Surdi, Cæci, Claudii, & similes, à feudi successione arcentur. *c. unic. §. mutus 2. Episcop. vel Abbat. 1. F. 6. c. unic. an mutus vel alius imperfectus 2. F. 36.* Et idem quoq; obtinet JURE FEUDALI SAXONICO. *Landrecht. d. lib. i. art. 4.* Nisi Dominus imperfecto, aut alias inhabili, gratiam facere velit. Et hæc de prima hujus theſeos conclusione, quemadmodum, nimirum liberi naturales & legitimi simul primi gradus tantùm, tam de jure Civili, quàm Saxonico, & Feudali, Parentibus ab intestatò defunctis, æqualiter succedant, dixisse sufficiat.

(P) Quòd si v. cum liberis primi gradus liberi ulterioris gradus, hoc est Nepotes ex filiis primi gradus præ mortuis, & Neptes, Pronepotes proneptesq; , ac cæteri descendentes defunctorum Parentum, concurrant, tunc hi cum illis seu patruis succedunt in stirpes, & sic assumunt locum sui patris. *Nov. 118. cap. i. tantamq; hæreditatis partem accipiunt, quantam Pater eorum unà cum aliis fratribus suis, si viveret, accepisset. §. 6. Inst. h. tit.* Idq; fieri videmus jure Representationis, quò liberi ulteriorum graduum in priorum deficientium locum veniunt, & cum proximioribus in stirpes succedunt, ita ut plures personæ habeantur pro una. Nec obstat huic Juri representationis regula, quòd proximior in gradu remotiorem excludat. *§. si plures Instit. de legit. agnat. success.* Nam ea in aliis successuum ordinibus, in quib. jus repræsentationis locum non habet, firmiter subsistit, in hoc tamen Descendentium ordine locum non habet, ob jus illud repræsentationis, quòd in hoc Descendentium ordine non tantùm ad Nepotes & Pronepotes, sed ad omnes Descendentes in infinitum extenditur, tam *de jure communi §. fin. ibi & alias deinceps. Instit. b. tit. d. Nov. 118. c. 1. ibi aut alios Descendentes, quàm Feudali. cap. & quia §. hoc quoq; 1. F. 1. & c. Success. in pr. 1. F. 50. Borholz. de*
B. grad.

grad. cap. de success. Defend. Natur. & legit. simul. & tract. feudali.
c. 7. n. 87. Forster. de success. lib. 4. c. 21. Hillig. in Donellum. lib. 9. c. 2.

[Q] Nec quoq; hic in Contrarium abit *Jus Saxonicum*, ubi similiter successio hæc in stirpes, & jus representationis, in ordine hoc descendantium locum obtinet, quod patet ex *art. 5. lib. 1. in pr. ubi dicitur*: Wann der Sohn bey leben seines Vaters ein Weib nimbt / vnd mit ihr Kinder zeuget / vnd stirbet eher denn ihm sein Vater theilet von dem Erbe / seine Kinder nehmen Theil an ihres Eltern Vater Erbe / gleich ihren Vetern / an ihres Vaters Statt / alle aber nehmen sie eines Mannes Theil.

(R) Soli etiam Nepotes, aut Pronepotes, ex diversis filiis, diversi numero, extantes, Avo vel Pro-Avo in stirpes succedunt. *S. 6. & S. fin. Instit. b. tit. d. nov. 118. c. 1. l. 2. C. de suis & legit. hered.* Quod Jus Representationis circa Nepotes & Pronepotes diversi numero, & de *jure Saxonico* quoq; receptum esse videmus, & hodiè etiam num observatur *Cöler. Decis. 47. n. 9. & huc quoq; facit textus post. Landrecht. sub Rubr. von successio auff Erbgütern ubi dicitur*. Ies einer Kindes Kinder von drey oder vier Kindern / die vor ihnen gestorben / auff dieselbige keine von ihm seine verlassene Erbe nach Anzahl seiner vorher verstorbenen Kinder / vnd muß also die Erbschaft nicht nach der Personen Zahl / sondern nach der Wurzel getheilet werden.

(S) Idem quoq; obtinet de *jure Feudali*, quod similiter Jus Representationis in Nepotibus Masculis in infinitum locum habet *p. text. in c. unic. ibi loco sui Patris de success. Feudi. 1. F. 8.* Quicquid igitur jam dictum est, de liberis naturalibus & legitimis simul, seu ex legitimo matrimonio natis, non tantum intelligendum est de liberis ex eodem matrimonio natis, hoc est Germanis, sed etiam de iis, qui ex diversis matrimoniis procreati sunt. Consanguinei igitur, qui unum & communem Parentem, diversas v. Matres habent, in bonis paternis pariter sive æqualiter, in maternis verò quilibet seorsim suæ Matri succedunt. Uterini contra qui unam Matrem diversos v. patres habent, in bonis maternis æqualiter, in paternis v. quisq; seorsim succedunt. *l. 4. ff. ad Sc. Tertullianum, Nov. 22. c. 29. in pr. Forster. de Success. lib. 4. c. 6.*

Theſ. II.

Liberi naturales & Legitimi ſimul, quemadmodum Parentibus ab inteſtatò ſuccedant, dictum eſt, nunc quoq; de legitimatorum liberorum ſucceſſione agendum nobis erit. Sunt autem Liberi legitimi, qui cum naturales tantum eſſent, ex poſt facto legitimi ſunt effecti *Nov. 89. c. 1.* Tres autem ſunt ſpecies Legitimationis: Aut. n. legitimantur per ſubſequens matrimoniũ, vel per Reſcriptũ Principis, vel per Oblationẽ Curiæ. *§. ſin. Inſt. de Nupt. & Nov. 89.* Legitimi per ſubſequens matrimoniũ, ſive ſoli, ſive cum aliis liberis cõcurant, æqualiter parentibus ab inteſtatò defunctis, ſuccedunt, *d. §. ſui aucem. 2. l. Divi 5. l. 10. cum l. ſeq. C. de Natur. liberis. Nov. 12. cap. ſin. Nov. 89. c. reliqui igitur. 8.* Quia vi huius legitimatiõnis, quæ facta eſt per ſubſequens matrimonium, per omnia & in omnibus, pro veris, juſtis, & legitimis liberis habentur, nec quicquam à liberis naturalibus & legitimis differunt. Et hæc per ſubſequens matrimonium legitimatio adeò firma eſt, ut etiam per matrimonium in ultimo mortis articulo cum concubina contractum, liberi legitimi efficiantur. *l. hoc genus 106. ff. de condit. & Demonſtr. l. Sancimus 27. C. de Nuptiis.*

[T] Et tales per ſubſequens Matrimonium legitimi liberi, nõ tantum parentibus ſuis ab inteſtatò in bonis allodialibus ſive Patrimonialibus in *Eigenthums-Gütern* ſuccedunt, verum & in feudalibus. Licet circa hanc quæſtionem non concordantes ſint. DD. opiniones, aliis negativam, aliis affirmativam amplectantibus ſententiam. Nos relictis aliorum, affirmativam ſententiam ſequimur, & hodierna praxi & conſuetudine firmatam. *Mynſing. cent. 5. obſ. 47. Weſemb. conſil. 44. n. 47. Prolixè Hartm. piſtor. lib. 2. p. 2. quæſt. 41. v. 1. & per totum Bened. Carpz. 3. Jurisprud. conſtit. 28. deſin. 17. Schneid. in Epit. feud. p. 6. c. 3. n. 13.* Nec etiam huic ſententiæ contrariatur *§. Naturales lib. 2. F. 26.* qui tantum loquitur de legitimatis per Reſcriptum Principis, non de Legitimatis per ſubſequens matrimonium.

(V) *Jure Canonico* quoq; legitimi per ſubſequens matrimonium, pro veris, juſtis, & legitimis liberis reputantur, cum matrimonium quaſi retrahatur ad tempus Nativitatis filiorum,

& perinde habentur, ac si ante natiuitatem contractum esset.
c. tanta vis 6. extra. qui filii sunt legitimi.

(W) Nec discrepat Jus Saxonicum, quò similiter liberi per subsequens matrimonium legitimati unà cum liberis naturalibus & legitimis simul admittuntur, non obstantè *art. 37. lib. 1. Landrecht*/qui neq; de legitimatis per subsequens matrimonium loquitur, neq; si loqueretur, obseruatur. Et extat sententia post *Weichbild. sub tit. wie die vnechten Kinder durch die folgende Ehe ehlich werden.*

(X) Per Rescriptum Principis Legitimati pro filiis quidem habentur, quoad omnia tamen non legitimantur. Nam tum demum Parentum hæreditate gaudent, si nulli ex legitimo matrimonio nati extant. *Nov. 74. c. 1. & seq. in fin. & Nov. 87. cap. illud tamen 9. sub. fin. Gail. lib. 2. obs. 142. n. 8.*

(Z) In Feudis tamen regulariter non succedunt, ut tradunt *FF. in cap. unic. §. Naturales. si de feud. contentio sit. lib. 2. F. tit. 26. Harm. Pistor. p. 2. q. 40. Carpz. p. 3. const. 28. desin. 16.* Nisi nominatim ad feuda legitimati sint, idq; in Rescripto legitimationis fuerit expressum. *Myns cent. 5. obs. 42. n. 5. Forster. de Success. lib. 4. c. 39. n. 4.* Moribus tamen hodiè receptum DD. dicunt, ejusmodi legitimatos cum legitimis succedere *Gail. lib. 2. obs. 144. n. 5.*

(A) Legitimati per Oblationem Curie legitimorum liberorum Nomen & Jus suitatis consequuntur, suisq; Parentibus cum naturalibus & legitimis liberis simul succedunt: *d. §. sui autem. 2. Nov. 89. cap. primus 2. & seq.* sed necesse est, ut ab ipsis parentibus Curie oblati fuerint. *d. nov. 89. c. 2 §. 1. & 2. in fin. & §. fin. Forster. lib. 6. de Success. c. 42.* sed hi itidem tantùm in allodialibus, non v. feudalibus succedunt *d. tit. in cap. si de feud. defuncti conten. sit. lib. 2. F. 26.* Verùm cum hic legitimandi modus ab aula hodiè recesserit, huic jam diutius non immoramur.

Thef. III.

Antequam ad ipsam liberorum legitimorum tantùm s. Adoptivorum, successionem accessum faciamus, ante omnia, quid liberi

liberi legitimi tantum seu Adoptivi proprie sint, enucleamus
 necesse est. Dicuntur a legitimi tantum seu Adoptivi, qui non
 ex nobis immediatè procreati, susceptiq; sunt, sed quos ipsa lex
 liberos facit, ad naturæ imitationem & quæ cognatio ab ipsa le-
 ge adinventata est, ut constat *ex Rubr. extr. de cognat. legit. ff. & C.
 de Adopt.* Horum a liberorum duplex est conditio. Dicuntur
 n. vel Adoptivi in specie, vel Arrogati. Adoptivi in specie di-
 cuntur, quando filii-familias, qui in Patris sui potestate adhuc
 constituti sunt, cum consensu ejus adoptantur. §. 1. *Instit. de A-
 dopt.* Et hi vel adoptantur ab Extraneo, in cujus potestatem non
 transeunt. §. *sed hodiè 2. Instit. de Adopt. §. sed etsi. 3. Instit. quib.
 modis jus patr. potest. solvitur.* Vel ab Ascendente Avo Materno
 vel Paterno, in cujus potestatem transeunt. *pra alleg. §. 2. &
 §. 8.*

(C) Adoptati igitur a Extraneo, sive soli, sive cum a-
 liis Patris Adoptivi Naturalibus & legitimis simul liberis, ante
 vel post Adoptionem quæsitis, concurrant, æqualiter tam Patri
 Adoptivo, quàm Patri Naturali, non verò illius, sed hujus tantum
 agnatis, & cognatis. *l. 2. §. liberi ff. ad Sc. Tertullianum* ab inte-
 statò succedunt. *l. pen. §. sed ne articulum C. de Adopt.* Si Adop-
 ptio durat, aliàs si emancipatio intercesserit, & Pater adoptans
 mortuus fuerit, nullum jus in hæreditate Patris Adoptivi habent
*§. At hi. 10. & pen. Inst. de heredit. que ab intestatò deser. d. l. pen.
 in pr. & §. 1. C. de Adopt.*

(D) Ab Ascendente verò adoptati, Avo sc: Paterno vel
 Materno, cum hi in Patris Adoptivi potestatem transeant, o-
 mniaq; jura filiorum naturalium & legitimorum consequantur,
 tam Patri Adoptivo, quàm Naturali, tam ex testamento, quàm
 ab intestatò perindè ut naturales & legitimi simul, succedunt.
*§. sed hodiè, v. si vero Inst. de Adopt. l. cum in adoptivis 10. §. si vero
 Pater C. de Adopt.* Non obstat quod emancipatus fuerit mortuo
 Patre naturali *Nov. 118. c. 4.* Quòd si enim Pater naturalis ad-
 huc viveret, omniò excluderet filium à successione Avi. Cæterùm
 ratio, quòd Emancipatio non obstat successioni, hæc est, quod in
 hac successione, non patria potestas, sed solùm jus cognationis
 natura-

manu

naturalis spectetur. (2) Arrogati v. liberi, qui, cum sui juris erant, cuidam se arrogandos dederunt, & in distinctè in potestatem arrogantis etiam extranei transeunt. §. 1. §. *illud proprium* II. *Inst. de Adopt.* Patri Arrogatori sive soli, sive cum aliis liberis naturalibus & legitimis concurrant, tam in bonis, quæ ad eum attulerunt, quàm in aliis ipsius Arrogatoris propriis, non solum ab intestatò, sed & ex testamento, si tamen in arrogatione manserint usq; ad mortem arrogatoris, tanquam liberi naturales & legitimi simul, succedunt. *d. l. pen. §. fin. C. de Adopt.* Sin verò ejusmodi liberi arrogati, sine causæ cognitione, & quidem impuberes fuerint emancipati, bona sua non tantum recipiunt, sed & quartam omnium bonorum, quæ defunctus tempore mortis reliquit, ex Rescripto Divi Pii adipiscuntur. §. *cum autem Inst. de Adopt. l. si arrogator ff. l. impuberem. C. cod. l. fin. ff. si quid in fraud. parr.*

[F] JURE SAXONICO Adoptivi filii cujuscunq; sunt Generis, non succedunt, nisi coram Judice & apud acta Adoptio fuerit celebrata, & bona in talem translata *p. text. Landrecht. lib. 2. art. 30. junct. Gloss. ibid. Heig. in Comment. Inst. d. servitut. que ab intestatò defertur. c. 5. n. 91.*

(G) JURE FEUDALI verò filii Adoptivi à successione feudali excluduntur. *c. 1. §. adoptivus si de feudo defuncti. conten. sit. 2. F. tit. 26.* Quia adoptio non adfert jus sanguinis *l. 23. ff. de Adopt.* Feuda a. dantur sanguine conjunctis, non liberis communitatis. *arg. cap. Quia §. 1. & seq. F. 1.* tum, quia si adoptivi succederent in feudo, sola dispositione Vasalli, possit feudum ad extraneum transferri. *contr. cap. 1. in pr. de success. feudi.* Nisi ita ab Imperatore admilla fuerit Adoptio vel arrogatio, & pacto fortè in investitura actum, ut Adoptivi etiam in successione bonorum feudaliū admittrentur. *Rosent. 3. tract. feud. c. 7. conclus. 30. n. 35.*

Thef. IV.

Naturales liberi tantum si propriam & strictam eorum significationem consideramus, omnes sunt illi, qui ex concubina, quam

quam quis unicam indubitato affectu domi loco Uxoris habuit,
 nati sunt. *cap. fin. caus. 32. quest. 4. & Gloss. in c. nisi 10. super verbo.*
Manzeres extr. de renunciat. Hi a. aliter Patri, aliter Matri succe-
 dunt. Patri non superstitibus legitimis & naturalibus liberis, in
 duabus tantum paternæ substantiæ Unciis, hoc est in sexta hære-
 ditatis parte inter eos solos, vel unâ cum Matre concubina, si su-
 perest æqualiter in viriles portiones dividenda, ita ut quanti-
 cunq; fuerint liberi, Mater unius filii portionem accipiat, ab in-
 testatò succedunt. *Auth. licet. C. de Natur. liber. l. fin. C. de na-*
tural. liber. Nov. 89. c. Discretis. 12. in fin. Extantibus v. libe-
 ris naturalibus & legitimis simul, extante itidem conjuge legi-
 timâ, tum in hæreditate patris planè non succedunt, pro boni
 tamen viri arbitrato à Legitimis pro quantitate hæreditatis atri-
 di sunt. *d. §. Discretis v. si quis igitur, & §. fin. Auth. licet. C. de na-*
tur. liber. Forst. de success. lib. 6. c. 8. & seq. Quid si v. Pater uno
 eodemq; tempore plures habuerit concubinas, annon & tunc
 Patri in duabus Unciis, liberi naturales ex diversis concubinis pro-
 gnati, unâ cum concubinis seu Matribus succedunt? R. quòd
 non, sed omninò à Patris hæreditate removentur, ob odium ef-
 fusæ, libidinis *d. §. Discretis v. si vero effusa. Auth. quib. mod. na-*
tur. sui. d. nov. 89.

[H] Matri v. etiam Illustri, ut & reliquis per lineam ma-
 ternam Ascendentibus, liberi naturales sive primi, sive secundi,
 sive ulterioris gradus fuerint, unâ cum liberis legitimis æqualiter
 succedunt. *l. hac parte 2. l. Modestinus 8. ff. unde cognati. l. si quâ il-*
lustris 5. C. ad Sc. Orbit. §. novissimè 3. Instit. eod.

(1) DE JURE SAXONICO Successio hæc naturalium
 liberorum tantum, nec in patre, nec in Matre, nec quoq; in illis
 per lineam Maternam Ascendentibus, procedere videtur, sed
 ipsorū bona tanquā vacantia fisco applicantur. *p. text. in art. 38.*
ubi Gloss. in art. 51. lib. 1. & sic quoq; Magdeburgenses pronuncia-
asse apparet ex ipsorum sententiis post. Landrecht. p. 1. c. 44. Di-
stinct. 4. 5. & 8. sed in hoc casu Jus Saxonicum propter ejus ini-
 quitatem non observatur, sed restringitur secundum Jus Com-
 mune, ut hi textus intelligantur de illegitimè natis ex Damnato
 sc. coitu



sc. coitu à lege Civili. Et passim in hiscè terris sic pronunciarì
testatur *S bneid. in Comment. Just. tit. de success. Natur. tantum. n.*
20. Quemadmodum etiam est sententia post *Welchbildt. tit. vñ-*
ehliche Kinder auff wehn vñd wie sie ihr Erbe verfallen,

[K] DE JURE FEUDALI notorium est, liberos natura-
les tantum nec Patri, nec Matri Feudum femineum habenti, suc-
cedere, posse. *c. uuic. §. naturales lib. 2. tit. 26.* Et concordat
Jus Saxonicum feudale. *Lehnrecht. c. 2. in pr.*

Theol. V.

Spurii, relictis aliorum definitionibus, magis propriè &
in specie nobis dicuntur omnes illi, qui extra matrimonium, &
concupinatum ex soluto & soluta procreati sunt, vel quorù Ma-
ter publica meretrix, cum multis viris indifferenter consuetudi-
nem habuit, & sic quasi à confusione seminis originem tra-
hentes, meritò vulgò concepti & quæsi liberi, quasi ab incerto
patre progeniti appellantur. *l. vulgò concepti 23. ff. de statu homin.*
Et hi spurii s. vulgò quæsi liberi Patri cæterisque per lineam pater-
nâ Ascendentibus, nullo modo succedunt. *l. hac parte 2. l. si spurii 4. ff.*
unde cognati d. l. vulgo quæsi 23. ff. de statu homin. Ratio vero quare
à paterna tantum non etiam Materna hæreditate excludantur spurii,
illa est: Quia consanguinitatis itemque Agnationis jura à Patre ori-
untur. *d. l. 4. ff. und. Cognat. §. vulgo quæsi Instit. de success. cogn.* Vul-
gò quæsi a, nullos habere agnatos manifestum est cum Agnatio à
Patre, Cognatio à Matre fit. Hi a. nullum Patrem habere intelligun-
tur. *Forst. de success. lib. 6. c. 46.* Secus tamen procedit, si statutum a-
liquod admitteret ejusmodi liberos spurios ad successionem, eti-
am in bonis paternis, tunc quoque succederent secundum *l. i. c. de*
jure aureo annull. Quia si valet dispositio Juris Communis, quod
hujusmodi liberi succedant Matri, valebit quoque statutum Civita-
tis quod quoque possint succedere patri. *per l. omnes populi ff. de Just.*
& Jure. Cum Mulier fornicando non minus peccet quam Vir
c. Christiana Religio 22. quest. 5. Quod si v. probatum sit, eum
quem mulier nominat, esse Patrem spurii, rectè jam queritur:
An

27

An etiam Vir iste seu Pater jam nominatus, spurium alere teneatur? Et hoc quidē de jure Civili recte negatur. *arg. Auth. ex complexu C. de incest. & in utilibus Nupt.* Quia Jure Civili liberis naturalibus ex concubina natis alimenta tantum decernuntur, non etiā spuriiis. Sed de hodierna tamē consuetudine, aliter passim receptum videmus, & plerumq; officio Judicis alimenta ejusmodi liberis ex bonis quem Patrem esse constat, decernuntur, quod & jus Canonicum approbare videmus *c. cum haberet extr. de eo qui Dux in matrim, quam prius polluit.*

(L) A Materna a. hæreditate & omnibus aliis per lineam Maternam Ascendentibus; cū Mater illis semper certa spurii s. vulgò quæsi liberi minimè excluduntur. *d. l. hac parte 2. l. Modestinus. 8. ff. unde cognati. §. Novissimè 3. Inst. ad Sect. Orph.* Nec quidem ex tantibus liberis legitimis. *l. pen. C. ad Sect. Orph.* à Materna hæreditate arcentur. Secius v. est, si Mater eorum forsitan sit illustris aliosq; liberos ex justo Matrimonio procreatos habeat, quò utroq; concurrente, nihil præter alimenta *arg. l. si quis §. ergo. 4. ff. de agnosc. & alend. liber. ex hæreditate materna consequuntur. l. si qua illustris 5. C. de Sect. Orph.* Non v. ex tantibus liberis naturalibus & legitimis, tunc spurii etiam Matrilustri succedunt, sumptò *arg. à contrario sensu. Schneid. b. tit. in fin. Forster. d. loco cap. 48. n. 3.*

(M) DE JURE SAXONICO, circa spurios, quando de successione Materna quæritur, idem obtinet, quod modo de naturalibus liberis dictum est. *Martin. Cöler. Deces. 50. n. 3. & seq.* Ubi ita Lipsenses pronunciasse refert. Nisi quod filia spuria non possit petere utensilia Matris, ut filia legitima *per text. Landrecht. lib. 3. art. 15. in fin.*

(N) DE JURE FEUDALI quin spurii & vulgò quæsi liberi ab omni successione feudali excludantur, extra omne dubium est, cū hi multò deterioris sint conditionis, quam naturales tantum.

Thef. VI.

Jam igitur naturalium & legitimorum simul, nec non legitimorum, legitimorum seu Adoptivorum, Naturalium tantum, item

item spuriorum seu vulgò quæditorum, liberorum successione ab
intestato per tractatâ, super est, ut & liberorum ex damnato
Coitu natorum tandem successione breviter deliniamus. Sunt
a. liberi ex damnato s. illicito Coitu progenerati, qui ex nefariis &
incestis nuptiis sunt procreati, ex nuptiis nimirum contractis in-
ter parentes & liberos, vel etiam inter fratrem & sororem, un-
de & nefarii & incestuosi *p. Rubr. C. de incest. nupt.* item ex adul-
terio nati, unde Adulterini appellantur. Liberi proinde ex Coitu
legibus ita improbato nati, ut sunt nefarii incestuosi, & Adulte-
rini, cum liberorum naturalium nomen non mereantur tam à
paterna quam materna, nec non Ascendentium per lineam pa-
ternam & Maternam. Successione arcentur, omnisq; acquisiti-
onis beneficio indigni iudicantur. *S. fin. in Auth. quib. mod. na-
tur. effic. legitimi. & in Auth. ex complexu C. de incest. nupt. Nov. 89.
c. fin.* Et hæc liberorum ex damnato Coitu natorum successio, a-
deo reprobata est, ut & alimenta de jure Civili ipsis denegentur.
*Nov. 74. c. fin. Nov. 89. d. Auth. ex complexu C. de incest. Nupt. Nisi
Matrimonium per errorem inter prædictas personas Contractum
fit. l. qui Contra 4. C. de incest. nupt.* Clementis tamen tertii Pon-
tificiis Romani Rescripto, & sic æquitate Canonica sancitum est,
ut parentes secundum quod eis suppetunt, facultates necessaria
his alimenta subministrant, *c. cum haberet 5. in fin. extr. de eo qui
dux in matr. quam prius per adult. polluit.* Quam Juris Canonici
Dispositionem non solum in terris Ecclesiis. Sed etiam imperii
esse servandam communis D D. conclusio est, secundum quam
etiam in Consistoriis pronunciarum solet *post Beust. tradit. Heigius.
in Comment. supr. Inst. hic n. 151.*

(O) DE JURE SAXONICO & FEUDALI iridem e-
jusmodi liberi ex Damnato Coitu progenerati, nec Patri, nec Matri,
nec eorum Ascendentibus succedunt, sed ab omni hæreditate ut
de jure Civili Communi planè repelluntur. Liberi tamen ince-
stuosi s. nefarii ex Matrimonio per Errorem contracto nati, etiã
de jure Saxonico, ut de jure Civili pro legitimis reputantur, pro-
indè à successione non repelluntur. *p. text. Landrecht. lib. 3. art. 27.*
Et hæc sunt quæ de successione Descendentium ab intestato levi
filio ac stylo (quòd dicitur) attingere proposuimus.

SOLI DEO GLORIA IN ÆTERNUM,
AMEN.



St aliquid, nomen doctæ da-
re *Palladis*, almæ
Militiæ, vigiliq; cohorti,
Digna etiam amplexu *Cha-
ritum* si sedulus edas
Facta, quibus tua munia
præstes.

Ast raras videas, qveis sit sapientia cordi:
Prostituunt sacra numina plures.
Pars enim in obscœnos sese transmittit amores,
Spumigenæq; Dææ sacra ponunt.
Sunt alii, poclis quos concertare paratos
Perpetuò facit atra libido.
Talibus exemptus Tu, Randovv, dulcis amice,
Quæ tua cura fiet, bene monstras.
Maçte istac Virtute! parant (feliciter!) almæ
Jam tibi præmia certa Camœnæ.

Johannes de Gorzen,
Gorzensky Nob. Pol.



Non ludunt operam, Themidos qui Sacra
frequentant,
Eiusq; ut Matris legum complexib; hæret.
Gna-

Gnaviter en Themidos de curris, Amice, theatra,
Multiplices legum tricas dum mente revolvis!
In cassum haud sudas, nec arênis semina mandas.
Tempus erit, Patriam, cum Tu sapiente bonoq;
Consilio flectes, famâ inclytus, insitus astris,
Dives amicitiiis, ope dives, munere dives,
Nullius artis egês per vitæ (haud blandior) annos.
Tanta Themis nobis decernit nostra brabêa!

Hæc rudi penicillo in sinceram amicitiae arrham delineata, Nobilissimo Dno. Respondenti Amico & Contubernali meo singulariter dilecto gratulabundus apposui

JOHANNES à Born/
Nob. Neom.




ULB Halle
006 558 364

3



VD17





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1653, 3
IDICA

ONE

UM AB

Nobilissima
cofurtana

ELLENTISSIMI
MI

on JENA,

eritissimi, ac
cæ p. temp.

etuo colendis
colitis

ndoto /
esp.

NIANIS
d, Typ.

17

